

David Chyträus

**ORATIO || DAVIDIS || CHYTRAEJ, CVM || POST REDITVM EX AV-||stria, ad
Chronici lectionem re-||uerteretur.|| IN QVA, DE STATV ECCL=||siarum hoc
tempore in Graecia, Asia, Vngaria,|| Boêmia etc. narrationes cognitu non ||
inutiles nec iniucundae ex=||ponuntur.||**

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1571

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755327021>

Druck Freier  Zugang





UB
Rostock
Ff
3864

Ff. 3864.

87-386

ORATIO
DAVIDIS
CHYTRÆJ, CVM
POST REDITVM EX AV-
stria, ad Chronicu lectionem re-
uerteretur.

IN QVA, DE STATV ECCLE-
siarum hoc tempore in Græcia, Asia, Vngaria,
Boêmia &c. narrationes cognitu non
inutiles nec inicundæ ex-
ponuntur.



RECUSA
ANNO M. D. LXXI.

Sf-3864.



ORATIO.

V M in longa & diuturna hac pro-
fectione, multa de statu Ecclesia-
rum in uarijs gentibus, in Græcia,
Asia, Aegypto, Vngaria, Boëmia
& alijs regionibus, partum ipse co-
ram cognouerim, partim ex hominum fide digno-
rum, nobilium & eruditorum sermonibus, Viennæ
et alibi didicerim: existimauit nihil me redeuntem ad
Epitomes Historiæ mundi, in qua Ecclesiæ conside-
ratio præcipua esse debet, prælectionem aptius: nihil
uobis, qui uera Ecclesiæ membra & ciues patriæ
amantisimi estis, iucundius & gratius: nihil ad pi-
am oblationem & prudentiam alendam utilius,
præfari posse: quam si summa sequens fastigia
rerum, ea, quæ de Ecclesiæ præcipue conditio-
ne in illis gentibus, memorabilia & certa percepisti,
oratione mea breuiter delibarem.

Nibi quidem in tanti uitæ humanae & reli-
gionum confusionibus, & in tanta multitudine ac
potentia hostium Christi, & tristissimis dilacerati-
onibus eorum cœtuum, qui de nomine Christi glo-
riantur, pergrata & dulcis etiam consolatio fuit:
Quod Ecclesiam Christi, recte Deum agnoscementem
& celebrantem, & uicturam apud Deum in omni
eternitate, non solum conseruari in mundo omni-
bus temporibus & locis, nec exiguis hisce & angu-
stissimis

ECCLESIAE

stissimis Europe finibus tantum contineri: sed in
media Turcia, in Gracia, Asia, Armenia, Iberia,
& intime Africe regnis latissimis, publico Eu-
angelij Christi & sacramentorum ministerio colligi
& propagari, tum antea ex monumentis historia-
rum publice editis, tum uero nunc per autoptas eti-
am, & oculatos testes magna ex parte, edoctus sum.

Scio in peregrinationibus, alios urbium fre-
quentiam, & edificiorum splendorem, formam uesti-
tus nouam, quam ferè solam fatui ex peregrinis
regionibus secum referunt, mirari: alios pruden-
tiores, Rerum publicarum formas, & peritorum
hominum sensus ac mores, & historias rerum me-
morabilium in ijs regionibus bello & pace olim ge-
starum, studiose inquirere. At Ecclesiæ Christi ci-
ues, Doctrinam de Deo in singulis regionibus so-
nantem, formam Ecclesiarum, ritus religionum,
studia literarum & artium laudabilem, & pio-
rum ac eruditorum de maximis rebus sententias &
iudicia sciscitari & considerare in primis decet.

Fuit igitur meum quoq; in hac profectione, ad
quam non curiositate aliqua, aut libidine proprias
usu enim edoctus sum, Domi melius esse: sed summi
Magistratus autoritate & uocatione extrusum
me esse scitis: præcipuum studium, ut mandatos mi-
hi labores & necessaria uocationis officia Deo iu-
uante fideliter facerem, & de statu Ecclesiarum, in
illis gentibus & exteris etiam nationibus, multa, ex
uiris sapientibus & peritis, sciscitarer. Initio

IN GRAECIA.

Initio autem, ut proposui de Graecia, postea de Asiae, Vngaria & Boemia Ecclesiis dicturus, aeterno Deo conditori & custodi Ecclesiae sue, toto pectore gratias ago, quod immensa bonitate ex misericordia, Ecclesiam sibi eternam, publica Euangelij uoce, ex genere humano, passim toto orbe terrarum colligit et conseruat. Nam in ipsa GRAECIA, hodierno die non modo Doctrinam & ritus Christianae religionis, uerum etiam ordinem & gradus Episcoporum, tamq; politiam & iurisdictionem Ecclesiasticam, sub Turcica tyrannide tolerari & defendi, ex multis fide dignis testibus, qui Constantinopoli, & in Graecia diu uixerunt, cognoui.

Certum est enim, nostro etiam tempore, aliquot Patriarchas, quorum crebra in ueteribus historiæ Ecclesiasticæ & imperij Byzantini scriptoribus mentio fit, ac Byzantium præcipue, omnibus que sub imperio Turcico sunt, Ecclesiis Christianis præesse. Omniumq; latissime patre Byzantini Patriarchæ dioecesin, quæ in Europa, totam Graeciam, Mysiam seu Seruiam & Bulgariam, Thraciam, Vualachiam, Moldauiam, Russiam, Moscouiam, insulas Aegei maris, & Asiam minorem, complectitur. Is Constantinopoli sedem habet, ubi quanquam splendissima S. Sophie filij Dei ædes, & alie ueteres & recens à Solymanno edificate, Mahometicis blasphemis possesse tenentur: tamen

A 3

plus

ECCLESIAE IN GRAECIA.

plura quam uiginti Christianorum templa reliqua sunt. Habet et senatum seu Collegium nobilium et cruditorum sibi adiunctum, cum quo communicatis sententijs ac consilijs. Ecclesiæ suæ dioecesi subiectas, per Archiepiscopos et alios inferioris ordinis Episcopos gubernat: quibus ministerium doctrinæ ac sacramentorum, et rectio disciplinæ libera, sed prorsus nulla ciuitatum et oppidorum dominia uel iurisdictione politica concessa est. Vni Archiepiscopo amplissimæ urbis Thessalonicæ (quam Salonicæ hodie uocant) ubi tria tantum templo Turci, Christiani uero plura quam triginta tenerent, duodecim adhuc Episcopos esse subiectos: Attico uero pauciores aliquanto subesse, Græcus quidam Thessalonicensis nobis commemorauit: addens, se Athenis ante quinquennium, 250 sacerdotes Christianos in publica processione incedentes, simul uidisse. Quod et si ab aliorum narrationibus, qui planè de letam et extinctam hoc tempore urbem Athenas, et uix paucas pescatorum casas et mapalia hinc inde sparsa extare referunt, planè discrepat: tamen ut que uolumus et credimus libenter, ita mihi de ATHENIS, uetustissimo doctrinarum et artium omnium laudatarum domicilio, de cuius cognomine Neptunum et Palladem, ut in his quoque Baltici littoris urbibus accidit, contendisse ferunt, plusne maritimis nauigationibus ac mercaturæ, quam studijs sapientiae et doctrinæ diberet: studiose scitanti,

A THENAE.

seiscitanti, periucundum fuisse fateor, quod urbem Athenas nostro tempore adhuc superstitem, & quidem Praga Boemiae ampliorem esse, & hospitium ac sedem Ecclesiae Christi mediocrem preberare, Thessalonicensis ille retulit. cuius utpote hominis Graeci fidem, et si Hodopeporico Hugonis Fauolijs & aliorum diuersa dicentium sermonibus ipse nequaquam antetulerim, tamen congruere cum ipsius narratione, aliqua ex parte uidentur, quae in Laonici Chalcondylæ historia legimus, Athenarum urbem post captum Byzantium adhuc amplam & populosam floruisse, & Mahometum II. Imp. Turcum, quinquennio post captam Constantinopolim, ex Peloponneso subiugata reuertentem, Athenas desfixisse, & urbis arcisq; magnificentiam, portuumq; commoditatem, miratum esse.

Tenuerant paulò ante principatum Athenis & Corinthi, multis annis, Acciaioli Florentini, & Reinero, qui, cum prouincie Imperij Byzantini à Gallis, Venetis & Italis diriperentur, Atticam & Boeotiam occupauerat, usq; ad Antonium, & Neriū, Quo mortuo, uxori, praetextu filioi ex Neriō suscepiti, principatum beneficio Turci retinens, exarsit amore patricij Veneti Palmerij, cuius patri, urbs Nauplium à Venetis commissa erat. Huic, coniugium, & Athenarum ac Boeotiae ducatum promittit, si coniugem, quam Venetijs nobilissimo ge-

ECCLESIAE IN

nere natam, habebat, quocunq; modo repudiare. Palmerius regni cupiditate accensus, priore coniuge ueneno sublata, Nerij uxorem ducit, ac pro Athenarum principe se palam gerit. Francus Acciolius, Nerij ex fratre Antonio nepos, indignitate rei motus, & quod principatum à sua familia ad Venetum transferri ægerrimè ferret, in aula Mahometis Palmerium accusat, eoq; remoto, tutelam legitimi heredis ex Nerio nati, & urbis Athenarum præfecturam, ipse impetrat. Iussu igitur Mahometis, ab Atheniensibus benignè receptus, uxorem patrui, Megaris, in carcerem clausam, necat. Eadem cæde, cum rursus in aula Turcica, interfectæ filius, acerbissimè quereretur: Mahometes finem nullum dissidiorum & parricidiorum esse in ea familia cernens: Omarem Thessaliam præsidem cum exercitu Athenas occupare, & præfectum, addito præsidio in arce collocare iubet. Qui nomine Regio, & amplissimam urbem tranquillam in officio retineret, & vicinam Atticam, Boeotiam, Locros & Phocidem gubernaret. Francus post aliquot annos recuperare urbem conatus, iussu Mahometis, à Zogano, Peloponnesi præfecto, occisus est.

Ab eo tempore, urbs Attica, sub Turcarum imperio, mediocris tranquillitate & quiete usq; , reliquionem Christianam, qualis antea etiam sub Palæologis Imp. passim usitata erat, fortasse retinuit:
sicut

GR A E C I A.

sicut et pa&sum alibi, in tota Græcia, Christiani
sparsi sunt. Quibus, cum tributum annum de sin-
gulis capitibus singulos aurcos pendunt, & facultas
est & religio libera relinquuntur.

Sed hoc tristissimum est, quod, ut olim Christia-
ni imperatores, ex singulis Græciae oppidis, certum
numerum liberorum, in quibus egregia indoles præ-
ceteris elucebat, delegerunt: quos ad publica offi-
cia militare togatae & bellicae in Aula educari cu-
rarunt: ita Turci, occupato Græcorum imperio, i-
dem ius eripiendi patribus familiis liberos ingenios
eximijs praeditos, usurpant: qui ad Turcicæ reli-
gionis ritus & ad militiam instituuntur. Verum
tamen hos pecunia redimere a conquistoribus sepe
parentibus licet. Reliqui cum uirtutis specimen in
bellis egregium praebent, ad summos dignitatis &
honorum gradus euhuntur. Et multos haec exem-
pla, & gloria militaris, quæ in generosis naturis
acerrimus stimulus est, ad Mahometicam religio-
nem inuitant.

Sed Athenas redeo, quæ olim omnis Philoso-
phie ac Eloquentiae, & postea etiam doctrine re-
ligionis, & omnium optimarum artium domicilium
fuerunt. Quæ artes, ante centum annos, in ipsa I-
talia, primum exilio Græcorum, Theodori Gaza
Thessalonicensis, Demetrij Chalcondylæ Athenien-
sis, Georgij Trapezuntij & Marci Musuri Cre-
tensis,

ECCLESIAE

tensum, & ante hos Emanuēlis Chrysolorae, qui in Germania tempore Constantiensis concilij obiit, restitutæ sunt.

Nunc uero, & Athenis, & in reliqua Græcia, planè frigere studia ueteris Philosophiae & eruditioris doctrinæ, & plerosq; sacerdotes ac Monachos etiam ueterem linguam Græcam ignorare, immo legibus Episcoporum alicubi, ne quis ueteres poëtas, oratores, Philosophos, aliosq; scriptores Ethnicos legat, prohibitum esse audio.

Discunt igitur pleriq; in Scholis, Græcè legere tantum eo consilio, ut Horologion Græcum, quod latini Breuiarium nominat, seu Horarias preces, euolueret possint, cuius Troparia, Stases, Contacia, Apolyticia & ceteras preces, eleganti oratione Græca compositas, ut nostri Horas Canonicas, aut Nonne Psalterium, legunt quidem sed non intelligunt, non sacerdotes solum & Monachi, uerum etiam ex uulgo plurimi, qui bonam religionis partem in harum precium recitatione quotidiana collocant.

Nam & ipse talcm Horologij seu Menologij libellum, diligenterissime leclum & dextritum à Cyprio quodam, uulgaris solummodo lingue Græcae (quæ à ueteri non minus, quam Italica aut Gallica, à latina differt) perito, a tricentum fabricæ in armamentario nauali Viennæ praefecto, mihi comparaui. Ex quo, invocationem & honores sanctorum, ac in primis Mariæ uirginis cultum superstitionis, 2

IN GRAECIA.

tiosum, in Græcia hoc tempore non minus, quam in Regno pontificio, uigere animaduerti.

Etsi enim, de ueteris & purioris Ecclesiæ doctrina & ritibus, aliquanto plus reliquum apud Græcos mansit, ut ex Liturgijs ipsorum, & narrationibus hominum fide dignorum appareat, nullam in eorum Canone, sacrificij corporis & sanguinis Christi pro redemptione uiuorum & mortuorum oblati, mentionem fieri: sed logicim latrian, hoc est, preces, gratiarum actiones, laudes Dei, & elemosynas in usus pauperum præcipue offerri, ut uerba Canonis sonant: Tua ex tuis tibi offerimus & in omnibus te glorificamus, te benedicimus, tibi gratias agimus & supplicamus Domino Deo nostro: Præterea integrum Sacramentum, seu utramque speciem populo etiam distribui, & Maritos à sacerdotio non arceri &c. Tamen alioquin omnia, non minus quam apud Pontificios superstitionum plena esse intelligo.

Tota uulgi & sacerdotum pietas ferè in cultu Mariæ uirginis & imaginum (quas tamen non sculptas, sed pictas solummodo habent) posita est. Nec tantum intercessione & precibus, uerum etiam meritis & auxilijs sanctorum confidunt. Ac tetræ & idolatriæ invocationis, non modò exempla, in eorum Templis, quotidie conspiciuntur, uerum etiam formule, in illis ipsis precibus Horologij Græcorum solennibus, in singulis Horis præscriptæ sunt: ut in

Mcsonya

RELIGIO

Mesonyctico : Te expugnabilem murum , & mu-
nimentum salutis, Dei genitrix Virgo, oramus, ini-
micorum consilia diſipa , populi tui tristiciam in
gaudium uerte, urbem tuam muni, cum rege simul
pugna, pro pace mundi intercede, quia tu es Dei ge-
nitrix ſpes noſtra. In Matutinis, Patrona timen-
da, & Virgo intemerata, ne contemne bona preces
noſtras,, gloriosa Dei genitrix, ſtabili orthodox-
orum Rempublicam, ſerua quos iuſſisti imperare, et
da illis de coelo uictoriam, quia peperisti D E V M ,
ſola benedicta. Et uifitatiſima in Troparijs, que
ſinguli e ſomno mane ſurgentes recitare iubentur,
concluſio eſt: Sanctus es D E V S, propter Dei geni-
tricem miserere noſtri.

Quanta ueroſuperſtitio, non sanctos modò in
coeli uiuentes, uerum etiam imagines ipſas colant
& adorent, una haec, omnium Græcorum ore de-
cantata, precandi formula oſtendit: D E I geni-
trix, omnium regina, orthodoxorum gloria, hereti-
corum fastum et faciem confunde, non adorantium
neq; coletium, tota sancta, uenerandam imaginem
tuam.

De Iuſtificatione, Basilij ſententiam plerosq;
in ore habere, intelligo: quæ in Homilia de Pœni-
tentia extat, eadem pagina, ubi de filio prodigo
celebrem illam uocem edit: Tantum uelis, & D E =
V S præoccurrit. Quid iuſtum eſt apud iuſtum
Deum? paucorum meminiffe, aut multorum obliui-

ſci ?

GR AEC O R V M.

sci? Appendantur lances, et qua mensura mensa
fuerimus, remetetur nobis. Si plura peccata erunt,
iniustus erit: Sin plura bona opera, iustus sit. Quæ
uox, doctrinam de fide in solius C H R I S T I, pro
nobis passi & resuscitati iusticia acquiescente, abo-
lens, & ad desperationem miseras conscientias adi-
gens, ostendit, legalibus & philosophicis opinionib.
doctrinam Euangeli propriam de gratuita remis-
sione peccatorum, & iusticia fidei, statuenter, se
propter unam & solam filij Dei Mediatoris inter-
cessionem & meritum, a Deo recipi & saluari,
apud eos obscuratam esse. Et in uniuersum a Scho-
lastice Theologie sententijs, plerosq; hac ætate non
abhorre, inde apparet, quod Thomæ Aquinatis
scripta, & Summam præcipue, in Græcum sermo-
nem conuersam, magna cum subtilitatis & acuminis
disputationum illius admiratione, studiosè legunt.

Intelligo & opiniones de applicatione sacri-
ficij Missæ pro uiuis & defunctis paßim inolevi-
se, & pecunia Missas emi, & Basilij liturgiam
duobus aureis, Chrysostomi uero paucis denarijs
redimi.

Multo autem purior & splendidior ceteris est
Basilij C A N O N, illustri oratione, pro omni-
bus beneficijs, inde usq; ab exordio mundi Ecclesiæ
collatis, ac in primis pro Redemtione generis hu-
mani, per filium Dei pro nobis natum, passum,
mortuum & resuscitatum facta, gratias D E O
agens,

LITURGIA

agens, & uerba institutionis Cœne, quam andam
mnesin suorum beneficiorum esse uoluit, recitans
& propositis muneribus panis & uini à populo
oblatis, petens, ut hæc antitypa corporis & san-
guinis Christi à Deo consecrentur, ac ut partici-
pantes dignè accipiant, & misericordiam & gra-
tiarum coram D E O in cœtu omnium sanctorum
Patrum, Prophetarum, Apostolorum, Mariæ uir-
ginis, Iohannis Baptistæ, &c. inueniant. Deinde
sacrificium precum offerens, pro Ecclesia Catho-
lica, pro ijs, qui obtulerunt eleemosynas, pro Impe-
ratore, pro omni populo, pro Repub. pro Archie-
piscopo, & omnib. ministris Ecclesiæ, pro fœcundis
tempestatibus, pro extirpatione hæresium & schis-
matum, deniq; ut omnes, uno corde & ore, Deum
Patrem, Filium & Spiritum sanctum, in omni æ-
ternitate celebrent. Hac solenni preicatione finita
& præmissis litanij, ac preicatione Dominica,
OMNES communicant, & dum reliqui panes ac
eleemosynæ à populo oblate in sacrarium deferun-
tur, gratias Deo solennibus uerbis Diaconus & po-
pulus agunt. Nec ulla omnino offerendi in hac li-
turgia corporis & sanguinis Christi, multo minus
redimendi hoc opere uiuos & mortuos, aut pro
alijs applicandi, mentio fit.

Chrysostomi uero Liturgiæ, et si crebrius obla-
tionis meminerunt; tamen non de propitiatorio, aut
Ceremo-

G R A E C O R V M.

ceremoniali corporis & sanguinis Christi, sed de Eucharistico precum et laudum ac elemosynarum sacrificio præcipue loquuntur: Offerimus tibi rationalem hunc & incruentum cultum, & inuocamus & supplicamus &c. Offerimus tibi pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, pro uirgine Maria &c. Etiam offerimus tibi hunc rationalem cultum, pro orbis terrarum, pro sancta Ecclesia, pro nostris Regibus, & exercitu illorum &c. sicut Tertullianus ad Scapulam inquit: Sacrificamus pro salute Imperatoris, DEO nostro & ipsius, quomodo præcipit Deus, pura prece.

Extant autem aliquot formæ Missarum Chrysostomi disjunctimiles: Græca ab Erasmo conuersata & alia ante annos 400. Constantinopoli sub Emanuele Comneno, Caliohannis filio Imp. a Leone Tusco diuulgata, que in Canone, logicin latrian pro fideliter dormientibus, pro patribus & auis nostris, interuenientibus patriarchis, Prophetis, & omnibus sanctis offert: et precationibus, aliubi nomen Chrysostomi additum habet. Vnde cætera non omnia eidem authori adscribenda esse facile aliquis ratiocinetur. Dissentit etiam ab his formis, ea, quam Ambrosius Pelargus conuertit, qui aliam adhuc in Bibliotheca pontificia, ab omnibus his discrepantem, extare testatur. Quæ uarietas Liturgiarum, falso

648

LITVRGIA

cas Chrysostomo tribui, & haud dubie eius ~~etate~~
multò puriorem ac sinceriorem adhuc Liturgie
formam fuisse, manifestè demonstrat. Nam &
Dionysius, quem Areopagiten uocant, quemq; non
multis annis Chrysostomi ~~etatem~~ antecessisse, Eras-
mus etiam coniectat, cùm diligentissimè omnes suo
tempore ritus in Ecclesia usitatos recitat, nullam
prorsus oblationis aut sacrificij pro mortuis men-
tionem facit. Recentiores etiam formæ, et si mor-
tuorum animas in requie & luce uultus diuini col-
locari petunt: tamen oblationem pro Animabus ex
igne purgatorio liberandis nullam faciunt. Et
quanquam tria loca discedentium ex hac uita Græ-
ci discernunt: Eorum enim, qui pie uixerunt, &
in Domino mortui sunt, animas beatas rectâ in cœ-
lum transferri: Impiorum uero, qui sine pœni-
tentia obierunt, rectâ ad inferos detruidi docent:
Eos autem, qui in fine uitæ primum ad Deum con-
uersi sunt, alio in loco, media conditione inter bea-
tos & damnatos, collocant: unde eos elemosynis
& precationibus uiuorum liberari sentiunt: Ta-
men hunc locum, I G N E M Purgatorium non apa-
pellant.

In Baptismo tertiam personam in pronunciatio-
ne uerborum usurpat: Baptizetur seruus Christi,
in nomine patris & filij & Spiritus sancti: & to-
tum hominem in aquam immergunt. Maritis sa-
cerdotio fungi concedunt, sed monogamis duntaxat.

Digamus

GRÆCORVM.

Digamos enim, iuxta Canonum præscriptum ab officio suspendunt. Coniugium uero intra septimum consanguinitatis & affinitatis gradum, & in secundo genere affinitatis intra quartum, in tertio, intra secundum gradum contrahere legibus interdictum est. Cuius uetus & prohibitionis etiam in c. Nullum. 35. q. 3. indicia extant.

Sed haec de doctrina & ritibus Ecclesiarum in Græcia dixisse sufficiat. Nam de processione Spiritus sancti, de pane azymo, de momento consecrationis, de Romani pontificis primatu quem Gre- ci non agnoscunt, & de ceteris, quæ in Synodo Ferrarensi & Florentina, ante 130. annos disputata, singuli in actis Conciliorum legere possunt, nihil in hac temporis angustia differi a me, ad alia properante, hoc loco commodè potest.

In ASIA uero, multò quam in Græcia tri- stior uastitas, per Saracenos & Turcos facta est, qui non solum Ecclesiæ & Scholas, uerum etiam urbium florentissimarum, que hospitia Ecclesijs & doctrina studijs olim præbuerunt, ædificia deleuerunt. Niceam, ubi Symbolum fidei nostræ, quod Nicenum appellamus, conditum est, & uicinam ei Nicomediam, & Cæsaream, D. Basilij Episcopi doctrina & eloquentia illustratam, & Antiochi- am Syriæ, ubi Christiani primum nominari coepe- runt, aliasq; urbes plurimas, quæ olim populosissi- mæ, & doctrina religionis ac potentia celeberrimæ

B fuerunt,

ECCLESIAE IN

fuerunt, nunc cadavera urbium, & ruderia, ueteris magnificencie & amplitudinis uestigia tantum ostendere intelligo. Passim tamen inter multitudinem Mahometicam, Ecclesie Christiane, (ut in uide-mia non ubere, unus & alter botrus,) sed dogmatum & rituum dissimilitudine, & uarietate quadam differentes, & sectis dissecte passim, in toto Oriente reliqua sunt. Ex quibus, Syri, & Georgiani ueterem Iberiam & Albaniam incolentes: quos ad boream Caucasus: ad occasum Colchi (Mengrellios hodie nominant, Trapezuntinis finibus propinquos) ab ortu, Mare Caspium: a meridie, Armeni ambiunt: in octodecim Episcopatus, qui uni Catholico seu Patriarchae parent, distributi, Græcorum doctrinam & ceremonias in uniuersum sequuntur, ac Syri Liturgiae sue authorem D. Basilium laudant. Sed sanctorum commemoratione, in quorum intercessione latere & per eos ad Deum accedere cupiunt, aliquanto impudentior, & oratio pro mortuis proplixior est, nec tamen ulla sacrificij corporis & sanguinis Christi pro defunctis ex purgatorio liberandis mentio fit.

Armeniorum, qui a finibus Cappadociae & Ciliciae, in qua Terasa S. Pauli patria, Tarsus olim appellata, hodie floret, usq; ad Iberiam, Mare Caspium, Medianam & Assyriam longissima terrarum spacia occupant: Religio & Ritus, nostris etiam hominibus

ARMENIA.

hominibus, qui Vilne in Lithuania, aut Leopolis
Russiae, ubi templa Armeni propria habent, nego-
ciationem exercent, non ignoti sunt. Hi quoq;
Ecclesijs suis proprium Patriarcham Christianum,
quem Catholicon nominant, præfectum habent:
nec in sacris alia quam ipsis uernacula & uulgo
nota lingua utuntur. Quem morem Ruthenos, ac
Moscouitas, & Moldauos, aliasq; gentes, By-
zantino Patriarchæ subiectas, & alias in Oriente
& in Africa Ecclesijs Christianas, hodie etiam
seruare scimus. Vbiq; autem extat forma Litur-
giæ Armeniorum, in qua, et si multa cum Christi
institutione & nostris ritibus congruunt: omnibus
enim integrum sacramentum distribuitur: nec ulla,
sine distributione Sacramenti, Missa celebratur:
nee sacerdotes mariti ab administratione sacri ar-
centur: tamen invocationis & intercessionis san-
ctorum, & oblationis Sacramenti pro alijs, ex-
pressior & prolixior, quam in veteribus Græco-
rum Liturgijs mentio fit. Et in Symbolo, uerba
quædam, nec Græcis nec Latinis usitata, sed tamen
piè sententiam Symboli declarantia, intexunt. Et
Formula uerborum, quibus sacerdos communicans
utimur, cæteris dissimilis est.

Passim etiam in Syria & Peride, ac toto Oriente,
Nestorianorum Ecclesiæ, uni Patriarchæ, quem
Iacelichum appellant, obedientes, sparsæ sunt. Et

ECCLESIAE

ad montem Libanum, Syri Maronite, quos olim
Monothelitas, nunc solos ferē in Asia Latīna Ecclesiae conformes esse referunt.

Multò autem latus, in Asia & Africa, Iacobites propagantur, à Iacobo Syro nomen ducentes, qui circa annum Christi 550. singulari acutissimi ingenij, & eloquentia excellenti, pro Eutychis & Monothelitarum doctrina, de unica post unionem in Christo natura accerrimè propugnauit. Verum Patriarcha Antiochenus, qui Ecclesijs in Syria & reliquo Oriente olim præfuit, nunc in solitudinem ferē redacta Antiochia, nec ullo Christianorum templo ibi reliquo, in urbe Damasco, ad S. Marie ædem, nostra ætate habitare dicitur. Summum enim & augustissimum S. Iohannis Baptiste templum, Turci anno 1516. Syria Aegyptiisque subacta, & ante hos Saraceni, occuparunt.

Ierosolymitano Patriarchæ, qui hoc tempore præfct, Germano nomen esse, ac in ipsa urbe Ierosolyma, circiter decem Christianorum templa superesse audio. Cathedrale ad S. sepulchrum, cui Patriarchæ sedes contigua est, circa quod, singularium ferē Christianarum gentium aliqui sacerdotes aut Monachi habitant, qui suis aduenientibus patrio ritu rem diuinam faciant. His ante 53. annos, Selymus Imperat. Turcicus, Campione Syriæ ac Aegypti Rege ad Singam cæso, & cum exercitu ex urbe Damasco per Ierosolymam in Aegyptum profici-

I E R O S O L Y M I S .

proficisciens, clementissimè conseruatis munera etiam, ut viris probis & religiosis benignè largitus est. Verum clausi Templi custodiunt Turci, qui à singulis peregrinis sepulchrum Domini ingressuris quinq; ducatos exigunt. Alterum est sanctæ Resurrectionis & S. Salvatoris templum, quod Armeni tenent. S. Michaelis, quod a Monachis Georgianis incolitur. S. Iacobi, S. Teclæ, Iohannis Baptiste, Georgij, Demetrij, Catharinae, & radicibus montis Sionis contiguum, quod Latini Monachi, familia Franciscana, possident.

Gazam urbem amplam & populosam, uniuersitatem Ecclesiae Christianæ hospitium præbere, illiusque Episcopum se a cognato suo Patriarcha Ierosolymæ electum esse, Thessalonicensis ille Michael Libadarius, cuius paulò ante mentionem feci, narrabat. Et in oppido BE THLEHEM, quindecim domus Arabum & totidem Christianorum Iacobitarum hoc tempore conspici, & ab his templum Christianum, eo in loco, ubi Maria virgo Christum peperisset, adhuc teneri, addebat.

Precipue autem in Aegypto & contiguis Aegypto amplissimis Aethiopie regnis, Christiani Iacobitæ, longè lateque propagati sunt: Qui Euthychis & Dioscori Alexandrini doctrinam de Christo, ex duabus naturis, non in duabus naturis subsistente, à Iacobo Syro & Iohanne Philopono, circa annum Christi 550. acerrimè defensam, sequun-

ECCLESIAE IN

tur. Hi infantes primum circumcisos baptizant, & cum scriptum sit, Christum spiritu sancto & igni baptizaturum esse, candenti ferro signum crucis, frontibus aut genis baptizatorum inurunt. Ac in urbe Alexandrina, quæ Patriarchæ Aegyptij domicilium, studijs doctrinæ, populi frequentia, Ecclesiarum multitudine florentissimum olim fuit: nunc ueteris amplitudinis ruinas ostendit: tria tantum templo Christianorum reliqua sunt, quorum duo, ad S. Marcum, & S. Michaelem, Iacobitæ: tertium ad S. Sabam, Calogeris, hoc est, boni & sancti Monachi Græci inhabitant. Præterea in curijs mercatorum Catalana, Genuensi, Veneta, singulis sacrificiuli Missas quotidie in ædium illarum faciliis celebrantes, tolerantur.

Alcauri uero, quæ omnium totius orbis terrarum amplissima & populosissima urbs esse, & circa duodecies mille templo, Mahometicæ religione dicata, continere dicitur: Alexandrinum Patriarcham hoc tempore habuisse, & tribus solummodo Ecclesijs, ad S. Mariæ, ubi cum Christo infante, Herodis seuitiem effugiens, hospitio Aphrodisijsa, latuit: ad S. Nicolai, ubi ipse Patriarcha domicilium habeat, & ad S. Georgij praesse: Græcus ille referebat. Fuit autem auorum adhuc memoria, antequam Selymus Turcorum Imp. Mamaluchis deletis Aegyptum anno Christi 1517. occupauit, Baptismus in tota ferè Aegypto in-

ter M. 40

A F R I C A .

ter Mamaluchos uisitatus, qui et si non uerae pictatis studio & amore salutis æternæ, sed ut succedere in dignitatibus & officijs parentum liberi possent, baptizari eos à Christianis sacerdotib. curabant: (Lege enim constitutum fuit, ne præter Mamaluchos, qui fide Christiana primū imbuti, deinde eam abiecissent, quisquam ad honores et præfecturas admitteretur) Tamen hac ipsa occasione multos infantes baptizatos magnā Ecclesiæ Christi partem fuisse, non dubium est.

Vltra Aegyptum & Syenen, quam hodie Guage-
ram incole appellant, Tropico Canceris subditam, in
latissimis Aethiopum regnis, æquinoctiali subie-
ctis, passim Ecclesiæ Christianæ florent, Quarum
fundamenta primum ab Eunuco Candace Regine
Aethiopum, quem Philippus baptizauit, & à Mat-
theo & Bartholomæo Apostolis, iacta esse, ipsi
earum Doctores testantur.

Maximum autem in ea Africæ parte Imperium,
quadraginta & amplius regna minora complectens
tenet potentissimus Monarcha, quem incole Belulgi-
an: nostri corrupta uoce, Pretgian, uel Priester Io-
hann appellant. Qui ex professo religionem Chris-
tianam colit, & patrum nostrorum memoria, ad
Sixtum IIII. & Clementem VII. legatos misit, qui
de ipsius pietate & amore Religionis & Ecclesia-
rum, Christi doctrinam in Europa profluentium, &
studio amicitiae & coniunctionis cum ipsis tuenda
prolixè testati sunt: ac multa, nostros homines, non

ECCLESIAE IN

Solum de Prægiannis Aula, copijs, apparatu bellisco, rebus q; gestis, & illarum gentium moribus, ue-
rū etiam de Ecclesiarum conditione, & sacrorum
ritibus docuerunt, quos cum nostris magna ex parte
congruere, ex editis etiam Liturgiarum formis, in
Aethiopia usitatis, tūm ea, quam Canonem uni-
uersalem nominant, tūm altera, quam Petrus A=
liares, in legationis suæ commentarijs descripsit,
cognoscere singulis licet. Nam & Epistolam, &
Euangelion, & uerba Consecrationis, sine Elcu-
tione, lingua populo nota retinunt, & omnibus, qui
sunt in Ecclesia, sacramentum sub utraq; specie
sacerdotes monogami distribuunt. His, in toto Præ-
giannis Imperio, unus Patriarcha præst. Qui
inter cæteras suæ gubernationis curas, multos suæ
gentis homines, quos in uniuersum Abbasinos no-
stri appellant, Ierosolymis assidue alit, & quotan-
nis impenso uiatico aliquos eò mittit, qui de rebus
Christianis certò explorata & cognita in patriam
referant. Hi Roman religionis causa interdum
expatiantur, ubi in Vaticano proprium cum domo
delubrum habent, ac patro ritu saera celebrant,
Cum his Prægiannis subditus se Ierosolymis lim-
guas Saracenica locutos esse, ac quæ nunc recito, cum
Sabellici etiam & Iouij historiae scriptorum nar-
rationibus congruentia, coram se ex eorum sermo-
nibus cognouisse, quidam fide digni nobis expo-
suerunt.

Sed

AFRICA.

Sed plura de Africanis Ecclesijs, ac de Mahometicæ etiam blasphemie dogmatis & ritibus, quæ totum litus Africæ à Pelusio usq; ad columnas Herculis, & Fesam, Mahometicæ Academij sedem, Sale fl. impositam, Nicolai Clenardi etiam, qui literas Arabicas anno Christi 1540. ibi didicit, Epistolis celebratam: & totum fere Orientem, Turcico ac Persico Imperio subiectum occupauit: ex publicis Historijs, & Alcorano ipso, ac refutacionibus Basileæ coniunctim editis, studiosi cognoscunt. Quos, si dissimilitudine editionum Alcorani offendentur, illud moneo, quod ex Iacobo Palaeologo Græco, Pragæ didici, libros unde illæ translatæ sint, non ipsum Alcorani contextum, rhythmis Arabicis constantem, sed paraphrases Alcorani, maiori uerborum copia, à diuersis interpretibus institutis, continuisse.

Nunc in PANNONIA M, unde paulò antè in Græciam & Asiam digressi sumus, redco. Quæ Regis Matthiae temporibus adhuc, florentissimum orbis Christiani Regnum, a monte Cecio ferè ad Pontum Euxinum pertinens, in septuaginta duos comitatus diuisa, triginta duas Episcoporum Christianorum sedes complexa est. Nunc tota ferè inferiore Pannonia inter Arbonem & Sauum, quæ plurimos Imperatores Christianos & alios, Valentinianum, Gratianum, & ante hos Constantium Chlorum, Constantini Magni patrem, Iouianum,

ECCLESIAE

num, Aurelianum, Probum, Decium &c. olim ge-
nuit: horribiliter per Turcas vastata, & in solitu-
dimem ferè redacta: & Mysia superiore ac inferio-
re, & Illyrici parte (in qua oppidi Sdrigno, D.
Hieronymi ortu celebrati, nomen & uestigia adhuc
extare audio) & trans Danubium, maxima Daciae
parte, auulsa: angustis sane & pañim interruptis
finibus continetur. Et tamen in his ipsis Regni Pan-
nonici ruinis, aeternam sibi Ecclesiam Deus, per mi-
nisterium puræ Euangelij doctrinæ & Sacramen-
torum, colligit, non in ea tantum parte, quæ nostro
Imperatori Maximiliano paret, ab ostio Morauæ
ad longissima montis Carpathi iuga, in Transyl-
vaniam usq; porrecta: & trans Danubium circa
fluvium Araboncm, (quæ S. Martini patria fuit,
cuius eponymon montem, Arce & sepultura S. Ste-
phani primi Vngarie Regis Christiani insignem,
ex ciuitate Raba, quæ nostro tempore Imperij Chri-
stiani & Turcici limes est, & à fortissimo heroë,
Eccio Comite à Salma defenditur, & Euangelici
pastoris uoce de D E O, & aeterna salute erudi-
tur: conspeximus) & circa Pisonis lacum, ubi
ribus agris, nobilibus uincis, oppidorum frequen-
tia, & uictuſiſima ac Regia urbe Odeburgo illu-
ſrem: Verum etiam in ipsa urbe Buda, duobus
Christianis concionatoribus pontificio & Lutheran-
o, locum in publico Templo à Turcis concessum
esse, ex multis fide dignis audiui.

Sunt

VNGARIA.

Sunt autem in citeriore hac Vngariae parte, monti Carpatho finitima, multæ Ecclesiæ, puritas doctrine, disciplina severitate, populi in ornando ministerio frequentia, assiduitate, reuerentia, & rituum grauitate, Dei beneficio florentes, & in Dominio nobis coniunctæ, præcipue in urbibus metallicis, & in Cepusiensi tractu, & Transyluania paræ præcipua, quam Saxones incolunt: in qua, Ecclesiæ & Schole eruditissimi uiri Iohannis Honteri Coronensis, (cuius Cosmographicos libellos carmine scriptos, & elegantibus Tabellis Geographicis ornatos, sepe uobis commendauit) pietate, doctrina & sapientia præclarè constitutæ, & postea Valentini Vegneri, cuius Catechesis, Græco sermone, piè, grauiter & copiose scripta extat, eruditione & fide illustratæ sunt. Etsi autem nunc Blandratæ & furiarum cum eo conspirantium blasphemis, Ariana certamina renouantibus, non leuiter Ecclesiæ Transyluanicæ perturbantur: tamen in uera & orthodoxa doctrina Deo iuuante firma & stabiles permanent, ac Doctores pietate, doctrina, constanza & zelo singulari lupos ab ouilibus suis arcenates, benignè & constanter fouent.

Pro hac immensa Dei bonitate & clementia, quod ruentibus Regnis & furentibus hereticis, hereditatem filio suo æternam seruat: sicut in diluvio, cum ædificia omnia aquis obruta essent, tamen Arcam, que Noah & Dei Ecclesiam uehebat, in columnæ

ECCLESIAE IN

columen conseruauit : toto pectore ipsi gratias agamus.

In BOEMIA, quam bis in hoc itinere per agrai, Ecclesiæ duabus hoc tempore appellatio- nibus præcipuis notari solent. Aliæ enim, Pontifi- cia omnia sine ulla exceptione, retinente, S V B V N A : Aliæ, Iohannis Husi doctrinam secutæ, & Basiliensis Synodi tempore pontificis rursum coniunctæ, & permisso pontificis in œcena sacra populo quoq; calicem distribuentes, uerum in do-ctrina & ritibus ceteris ferè omnibus, pontificis conformes, S V B V T R A Q V E nominantur. Ab utrisq; sciuncti & uelut catharmati & perip- semata excommunicati sunt Fratres, quos VV al- denses & Picardos uulgò appellant, qui se ueros & constantes ac germanos Iohannis Husi discipu- los, & doctrinæ ab ipso acceptæ, fidos custodes esse, profitentur: Extant autem, Confessio fidei, & Apologia doctrinæ Fratrum, publice editæ. Et cum duobus Ecclesiæ eorum præpositis, ego & collega meus, de singulis Christianæ religionis partibus, ordine collocuti sumus, ac tūm ex scriptis editis, tūm uiua eorum uoce comperimus, eos, de omnibus doctrinæ Articulis, eandem sententiam, cum fundamento Prophetarum & Apostolorum eongruentem, quam & nostræ Ecclesiæ, una uoce & uno spiritu, cum catholica Ecclesia Christi profitentur, piè amplecti & confiteri, & à fana- ticijs

BOEMIA.

hieis opinionibus cum uerbi diuini norma pugnatibus, et iudicio ueræ Ecclesiæ damnatis abhorrere. Nam quod, qui sunt sub utraq; et alijs, Donatistarum errorem ipjis obiciunt, quod Ecclesiam suis cœtibus tantum definiant, et ministrorum, qui moribus sunt uitiosis, inefficax esse ministerium, doceant: id constanter pernegant: tametsi hos ab officio remoueri, et excommunicari oportere, sentiunt. Coniugio nemini interdicunt, sed tamen ministerio fungi coelibes castos uolunt, ut commodius ac expeditius Ecclesiæ seruire queant, ac ut auditores, qui eleemosynis suis, præpositos alunt, minus onerentur. De cena Domini sententiam suam in A pologia D. Georgio Marchioni Brandenburgensi exhibiti prolixè et piè explicant: ac in priuatis sermonibus, et publicis scriptis ac cantilenis, panem et uinum cœtie Domini, uerum Christi corpus et sanguinem esse, aperte profidentur; tametsi disputationem de omnipresentia ab hoc loco plane remouendam esse censem. Iterationem Baptismi olim usurpatam, et communionem parvulorum, ijs, qui sub utraq; sunt, adhac paßim in Boemia uisitatem omittunt. Disciplinam honestissime et seuerissime regunt. In sacris suis nulla alia, quam populo nota lingua utuntur, ac eaam si aliquot linguarum peritos et doctos uiros suis cœtibus præfectos nostro etate habent: tamen ut a Sophistarum et Monachorum contagij longissime abesse uiderentur: paulo
ante

ECCLESIAE IN

antè ne literarum quidem & artium liberalium studia coluerunt, ac multis in locis hoc etiam tempore ministri latinæ linguae planè ignari, sed uite honestissimæ, & in scripturis diligentissimè exercitati, Ecclesijs eorum præfunt. Pontificios ritus per se impios uel alioquin ad ædificationem ueræ pietatis & disciplinam inutiles, planè exploserunt, & ad primæ ac Apostolice Ecclesiæ simplicitatem et gravitatem totum ordinem concionum, lectionum, precum, cantilenarum (quas sanctissimis sententijs, selectissimis uerbis, & elegantissimis numeris compoſitas, nuper Cæsareæ maiestati publice inscriptae sunt,) & cæteras ceremonias omnes reformatarunt. Et si autem Fratres isti, per probrum & ignominiam, se VValdenses & Picardos ab aliquibus uocari ostendunt: & nominis Picardorum originem à Iohanne quodam, ex Picardia Galliæ orto, qui Platonicam communionem facultatum & uxorum, in Boëmia inchoarit, eaq; de causa cum suo agmine, per Ciscam deletus sit, extitisse, unus ex fratribus Doctoribus mihi sciscitanti respondit: Tamen collatis historijs, & aliorum eruditorum, cum quibus Pragæ, de Husi negocio, contuli, sermonibus didici, longè antè Husi tempora communionem utriusq; speciei in Boëmia aliquibus in locis usurpatam, & pontificia dogmati, & abusus mullos esse improbatos. Cum enim Petrus VValdus Lugdunensis, a quo VValdensium appellationem pri-

mum

BOEMIA.

nūm ortam esse, certum est, Tyrannide Pontificia
ugduno cum auditoribus suis, pulsus esset: alijs in
icinam prouinciam Narbonensem, alijs in Lombar-
iam ubi frequentes cœtus & Scholas sue religio-
nis longo tempore habuerunt, alijs, ac in his ipse
V Valdus, in Picardiam Gallie, delati sunt, ubi plu-
res collegas & in his præcipuum Hieronymum in
Picardia natum, sibi adiunxit, qui Rothomagi,
Ambiani & in uicinia, amplos cœtus symmystra-
rum collegit. Cum autem per Ludouicum Gallie
Regem ex Picardia etiam ejacerentur: in Germa-
nia propè Moguntiam & Francofordiam ad Me-
num aliquantisper docuerunt. Inde in Boëmiam
primum profecti sunt, ubi duobus ferè seculis ante
Hussum doctrinae sue semina sparserunt, quæ inde
in Morauiam, Poloniam, Silesiam & huius quoq;
Balthici litoris regiones, multis ante Hussum annis,
propagatae sunt.

Postea primum anno 1404. ex Anglia, Iaco-
bus professione Theologus, & Conradus Canta-
brigensis, & Viclefi doctrina & libris instructi,
Pragam uenerunt, qui de illius sententijs publicè in
Academia disputare crebrius soliti sunt: panis sub-
stantiam in Eucharistia non mutari. Ritum confir-
mationis, leuem ceremoniam et in scripturis non tra-
ditam esse. Confessionem arcana sacerdoti facienda,
ab Innocentio præcepta, non adeò necessaria esse, ut
ipse definit, ordinatione Episcoporum non fieri sacer-
dotem.

ECCLESIAE IN

dotem, sed sancta uita testificante eum ex Deo natum esse. Papam esse Antichristum. Prælatos Cæsareos, uarios Monachos, uanos Canonicos, & fratres mendicantes, non esse membra Christi sancta, nisi ante mortem, animo saltem deserant acceptam stolidè sectam suam, & Christi sectam liberè induant. Sacerdotibus & Clericis tempore legis gratiæ, non licere prædia & fundos dominio ciuili possidere. Clericis Antichristi & alijs notoriè delinquentibus, bona & eleemosynas Ecclesie eripendas esse, & excommunicationem ea de cauſsa illatam contemni debere. Ad uerum seculare dominium requiri iustitiam dominantis, &c.

Hæc dogmata annis 40. anté, sub patrocinio & tutela Eduardi III. V Viclefus in Anglia, & uiua uoce, & scriptis Dialogis, quorum libri quartuor adhuc extare dicuntur, acerrimè defenderat, ac, mortuo Eduardo, ex Anglia pulsus, in Boemia aliquamdiu apud Matthiam Parisiensem, cuius de abominatione seu Antichristo liber prolixus citatur, quem cundem esse arbitror, qui sub Iohannis Husi nomine excusus est, latitauit. Vnde tandem in Angliam reuersus anno 1387. ex hac uita discessit. Huius igitur V Viclefi discipulis Pragam uenientibus, I O H A N N E S H V S S V S magna cum ingenij, doctrine & eloquentia admiratione in schoala & pro concione docens, & uita seruerè arguens, à populo & clero amabatur. Postea cum in sacer-

BOEMIA.

sacerdotum & pontificum libidines, auaritiam,
prophanitatem, pari zelo inuicheretur, & sacerdo-
tum munus esse, concionari & docere, non politico
more dominari, & Imperia, ditiones & principa-
tus possidere, & non fungentibus suo officio, aut
morum turpitudine pollutis, auferri eleemosynas
Ecclesie, & alijs idoneis attribui, aut in alios usus
pios conferri debere affirmaret: & disputationes
de ficta conuersione panis, de discrimine uerae &
falsa Ecclesie, ministerij Euangelici & domina-
tionis politicae, & aliæ, ex VViclefis placitis, acce-
derent: hic uero Cleri furijs exarserat atro felle
dolor, ac illico Archiepiscopus Pragenis Sbinco,
edictum, de credenda necessariâ panis metusia, &
de comburendis publicè VViclefis libris proponit.
Huic edicto cum in schola & pro concione Hussus
cum suis aduersaretur, certamen atrocius exarsit,
quod exorti in Academia Pragensi, eo tempore flo-
rentissima, de tribus suffragijs exterarum natio-
num ad Boemos transferendis, quod Husi opera
principue à Rego VVenceslao imperratum erat, tu-
multus auxerunt. Germanis igitur scholasticis
Lipsiam migrantibus, ubi Fridericus, qui postea E=
lectoris Saxonie dignitatem primus in familiam
Marchionum Misnie intulit, sedes eis benignas
tribuit, ac sequenti anno 1409. impetratis priu=legijs,
Academie Lipsensi, initium fecit (ex qua,
decennio post, hac Rostochiensis Academia, uelut

C

colonia,

ECCLESIAE

colonia, primum deducta est) atrociora odia, in
tota Germania & reliqua Europa, aduersus Hus-
sum, ubiq; inflammati sunt. Et iam sbinco Rome
pontificiam condemnationem dogmatum VViclefis,
& omnium ea tumentium confecerat: una cum in-
terdicto, ne uspiam alibi, quam in parochiarum
tempulis, populus pro concione Pragæ doceretur.
Sed Hussus in sacello Bethlehem concionari nihil-
ominus constanter pergit. Ac Husse paulò post
Constantiam euocati, & propter confessionem ue-
ritatis constantem combusti, uices in docendo IA-
COBELLVS Misnensis subit, qui utriusq;
speciei communionem publicam Pragæ primus in-
choauit.

Fouebat Husse partes Sophia regis VVence-
slai regina, & ciuitates regiae ferè omnes, ac multi
proceres Husse doctrinam, Regi non improbatam,
sequebantur.

Itaq; Sigismundo Cesarri, qui quadriennio
post crematum Hussum, VVenceslao mortuo, suc-
cessurus erat, inter cetera etiam hos articulos pro-
ponunt: ut uerbum Dei à sacerdotibus & Leuitis
legitimè uocatis, purè & sincere ubiq; in regno
prædicari: & utramq; speciem Sacramenti, iuxta
Christi institutionem & mandatum à sacerdotibus
& ceteris Christianis omnibus sine discrimine ex
equo sumi: & publica ac manifesta flagitia in
quolibet hominum statu legitimè corrigi: & Sa-
cerdotes

IN BOEMIA.

cerdotes ac Clericos concionari et docere , non re-
gio more dominari , et ditiones ac prouincias pos-
fidere , sineret . Quibus postulatis , cum assentiri Si-
gismundus nollet , ipse quidem sedecim annos regno
caruit . Ordines uero regni , Pragæ Synodo coa-
cta , supremam inspectionem Ecclesiarum in Boë-
mia et Moravia , quatuor Doctoribus in Acade-
mia Pragensi commandant , et regulas Ecclesiasti-
cas , ut nominant , seu statuta , de norma doctrinae ,
de ordine gubernationis Ecclesiæ , de concionibus ,
de Eucharistia , de bonis Ecclesiasticis , de peccatis
mortalibus severè coercendis , de moribus Clerico-
rum et penitentia delinquentium &c. uiginti tria con-
dunt , que Ecclesiarum saluti et tranquillitat in
Boëmia et Moravia seruirent . Inde bella , conti-
num ferè decennium , Pontifice Germaniam in
Boëmos incitante , secuta sunt : Que cum Boëmi ,
Cisca Duce , cuius monumentum Czastatiæ uidi ,
feliciter profligassent , tandem Concilij Basiliensis
tempore , ad amicam pacificationem decursum est ,
in qua , post aliquot annorum tractationem , postre-
mò quatuor illi articuli , quos Sigismundo Cesari
propositos fuisse dixi , aliquantulum mitigati sunt ,
et Boëmis concessi , hac tamen conditione , ut in cœ-
teris omnibus religionis Christianæ dogmatis et ri-
tibus , Ecclesiæ Romanae prorsus se subiacerent , et
conformes redderent . Eius pacificationis formulæ
Anno 1436. de quinta Iulij , Iglauiæ in Moravia ,

ECCLESIAE IN

solennibus litteris, quas usitatisima in illis regionibus appellatione Compactata nominant, sancta & confirmata est. Huic conciliationi Iohannes Rochezana (qui eruditione & autoritate ceteros Husi discipulos facile attrahat) & omnes ferè proceres ac ciuitates, Husi doctrinam profidentes, pacis & concordie studio assensi sunt. Pauci alijs, & in his Taborite, quos VValdensium doctrinam amplexos fuisse historie testantur, cum tetros Misericordiarum abusus, & sacrificia pro uiuis & mortuis, Invocationem diuorum, cultus statuarum, idolatriam cultum panis circumgestati, & alias superstitiones pontificias plane auersarentur, post longi temporis disceptationes, tandem se à pontificijs, & Rochezanæ auditoribus, pontifici coniunctis, quos S V B V T R A Q V E hodie nominant, prorsus separarunt, & electis ex suo cœtu Ecclesie ministris, proprias congregations instituerunt, que inter uarias persecutions & ærumnias multiplices, hic usq; in Moravia, Boëmia, Polonia & alibi diuinitus conseruatae sunt, & VValdensium ac Picardorum nomine ab aduersarijs paßim traducuntur. Inte Pontificios etiam & Husi seu potius Rochezanæ sectatores Boëmos, cum pontificie reconciliatos, male sarta gratia nequidquam coiit & sepe rescissa est: præsertim cum Iohannes Capistranus (quem Chalcondyles historicus, Pragam ad Boëmos Apollinem colentes missum esse refert, ut eos radre

BOEMIA.

ad religionem Iesu transferret) à pontifice in Boëmia & Vngariam ablegatus, articulum de communione utriusq; speciei, à Synodo Basiliensi concessum, publicis concionibus impugnaret, cui uehementissimè Rochezana restitut: & postea titulum Regis Boëmiae, Georgio Pogebradio ademptum, pontifex, Matthiae Huniadi conferret. Nunc etiam, qui SVB VTRAQ; VE celebrant, et si omnia ferē pontifica in ceteris articulis retinent, tamen iugo dominationis pontificiae excusso, ex senatus Ecclesiastici PRAGAE olim instituti autoritate, potissimum pendent & reguntur.

Hæc de Ecclesiarum Græcie, Asie, Vngarie & Boëmia conditione, præfari hoc loco, CHRONICON lectioni, quam usq; ad Augustum & natum Christi tempora deduximus, uolui. Nam ea de causa præcipue scribi & extare CHRONICA Deus uoluit, ut ubi & qualis semper fuerit in mundo Ecclesia, sciremus. Quod autem uetus Poëta inquit: Floriferis ut apes in salibus omnia libant, Omnia nos itidem depascimur aurea dicta, Aurea perpetua semper dignissima uita: Id alibi dixi ad hunc quoque libellum, CHRONICON Carionis Philippicum rectissimè accommodari, in quo uertices omnium Historiæ uirtutum decerpit, nec res gestas in Ecclesia & Imperijs solummodo nudè narrat: sed sapientissimè accommodat exempla ad regulas, & grauißimis Noëmatis ac Gnomis

ECCLES. IN BOEMIA.

mis & Epiphonematis ubiq; intertextis , usum &
applicationem historiarum ad omnia Republicæ
consilia & actiones rectè gerendas demonstrat.
Ut igitur hactenus in priore Chronicæ parte, ita de-
inceps etiam fontes primos & loca authorum , ex
quibus historiæ ac Gnomæ omnes depromptæ sunt,
fideliter ostendam. Et Ecclesiæ imprimis Christia-
nae historiam , & dogmatum controværias , ac ead-
rum dijudicationes , diligenter Deo iuuante expli-
cabo. Quem ardentibus uotis precor , ut Ecclesi-
am sibi eternam, uoce Euangelij , in his regionibus
& toto terrarum orbe , immensa bonitate colligat,
& ueræ de Christo doctrinæ , & opūmarum arti-
um, historiarum ac linguarum studia Ecclesiæ ne-
cessaria , in hac Saepa seruet, & nos singulos do-
ceat, gubernet & regat, ut Christo grata,
Ecclesiæ Dei ac Republicæ, & ani-
mabus nostris salutaria
discamus & do-
ceamus.

D I X I.



Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT

ECCLESIAE IN

literarum quidem & artium liberalium stu-
runt, ac multis in locis hoc etiam tempore
tine lingue planè ignari, sed uite hono-
r in scripturis diligentissimè exercitati,
um præsunt. Pontificios ritus per se
oquin ad ædificationem ueræ pietatis
inutiles, planè exploserunt, & ad
police Ecclesiæ simplicitatem et gra-
dinem concionum, lectionum, pre-
(quas sanctissimis sententijs, se-
& elegantisimis numeris com-
ree maiestati publice inscrip-
emonias omnes reformatarunt.
ti, per probrum & ignomi-
& Picardos ab aliquibus uo-
inis Picardorum originem
Picardia Galliae orto, qui
facultatum & uxorum,
de causa cum suo agmi-
extitisse, unus ex fra-
nti respondit: Tamen
auditorum, cum qui-
contuli, sermonibus
era communionem
ibus in locis usur-
& abusus multos
V Valdus Lug-
allationem pri-
mum

U3 Rostock

the scale towards de